

DE INFLAMMATIONE  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDICORUM

ORDINE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM

DORPATENSI

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME OBTINENDO

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PETRUS HENRICUS ALIMANN

FERNAVIENSIS.

---

DORPATI LIVONORUM  
EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNEMANNI

MDCCCLXX.



Imprimatur,

ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, priusquam distribuatur, septem exemplaria collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati, die XXI. Apr. MDCCCXX.

Dr. Joannes Fridericus Erdmann,  
Censor.

*I. De inflammationis Symptomatibus.\*)*

Morborum localium generalissimam formam nobis praeber inflammatio, quae characteribus tumoris, ruboris, doloris et caloris insignita est. Praeter haec

---

\*) Richters Anfangsgründe der Wundarzneykunst.  
I. Bd. C. 2. sq.

Ejusd. Specielle Therapie. 1817. p. 360—372.

Burs. de Kanillfeldt inst. med. 1797. p. 1. sq.

Franck epitome de curand. hom. morb. Lib. II.

§. 121, sq.

Hufeland System der pract. Heilkunde, Jena u.  
Leipz. 1802. p. 108. sq.

Keil, über die Erkenntnis und Cur der Siebet.

II. Bd. 1804. §. 69 sq.

Henke spec. Path. I. Bd. §. 292. sq.

Sprengel Handb. der Pathologie. II. Bd. §. 159.

Ejusd. inst. med. T. IV. §. 144. sq.

Heckers Kunst die Krankheiten der Menschen zu  
heilen. 1817.

Conradi's Grundriß der Pathologie und Therapie  
2. Thl. §. 169—212.

D 14081

signa, ab antiquissimis inde temporibus, pathognomica essentialia habita, observantur alia adhuc: durities aucta, functionum laesae partis perturbatio, materiae organicae commutatio frequentior, sanguinis mutatio, per crustam inflammatoriam se exhibens, articularum partis affectae pulsus auctus, febris denique inflammationi socia frequentissima, quae a veteribus pathologis signum characteristicum habebatur. Ex his quidem signis praesens agnoscitur inflammatio, sed ex eorundem complurium defectu, absentia istius satis infirmo colligitur argumento, nam in dijudicanda internorum organorum phlogosi, non unum vel alterum ex allatis signis, sed singulorum congeriem symptomatum, causas praegressas, et regnantis constitutionis naturam consulere oportet. — Ad perspicuam inflammationis demonstrationem, singula symptomata exactius perlustremus necesse est.

*Rubor* arctissime cum inflammatione conjunctus est; in initio morbi aut ejus leniori gradu colorem habet pallide rubrum, saepe etiam purpureum. Rubor hic increscit cum increcente inflammationis gradu, et in centro suo in colorem intensiorem quasi transire solet, qui peripheriam versus magis magisque evanescit; nonnunquam vero ambitum magis minusve circumscriptum habet. Oritur ex aucto sanguinis affluxu,

unde etiam eae partes nimia sanguinis copia implentur, quae in statu normali eo carent; porro ob sanguinis oxygenio ditioris colorem vividiorum. Ex Hunteri 1) sententia, increcente inflammatione ex lymphae exsudata in parte affecta nova oriuntur vasa, quae dum sanguinis globulos recipiunt, ruborem augent. — Quo tenuior cuticula partium quarumlibet est, eo intensior etiam color apparet.

*Tumor* ex vasorum expansione oritur eorumque distentione humorum affluxu aucto ita, ut ad eum humores exsudati non paulum quoque conferant, simul cum emolitione materiae. De magnitudine ejus nil certi definiri potest, quippe quae maximopere differat et tum ab inflammationis vehementia cum ab organis ea correptis pendeat; major propterea in iis partibus est, quae laxiori et spongiosa structura gaudent e. g. in glandulosis organis, minor in partibus fibrosis, aponeuroticis. Internorum organorum inflammationes hoc signo cognosci non possunt, nisi insignem habeant ambitum.

*Dolor*, omnium fere inflammationum socius, raro deest; aucta sensibilitate partium incitamenta naturalia

1) Versuche über das Blut die Entzöden u. Schufwunden. Bd. 2. p. 126 u. 132.

pati nequeunt aegroti, sic v. c. ophthalmiis laborantes lucem haud perferunt. Dolor autem varius est pro varia partium affectarum indole, pro inflammationis caractere et periodo. Pungens enim est si partes tendinosae aut nervis ditissimae corripuntur, aut si tensae sunt: verum etiam in partibus, quae non adeo nervis abundant aut plane iis carere videntur, dolor vehementissimus esse potest. Initio morbi dolor vehementior est, mox sensim diminuitur: pulsatorius denique fit, quando inflammatio ad suppurationem tendit. Gravis et hebes est ubi parenchyma, glandulae et viscera cellulosa adficiuntur: in pulmonibus premensa a perturbata sanguinis circulatione; in membranis, in peritonaco etc. pungens observatur. In inflammationibus cum magno debilitatis gradu conjunctis, dolor saepe deest. Denique quo ad typum, modo continuus modo remittens aut intermittens percipitur: exacerbationes vespertino fiunt tempore, remissiones matutino.

*Aestus intensus rarissime deest inflammationibus; explicatur vehementi sanguinis affluxu, majoribusque processibus vegetativis. Hunter 2) et Brandis exempla nobis afferunt ubi thermometrum sex gradibus et do-*

2) Hunter l. c. Tom. II, pag. 143 — 144.

drante modum normalem superaverit. Incipiente inflammatione aestus vehementior est, decurrente sensim diminuitur; insignis, ubi inflammatio in *gangraenam* transit: in chronica inflammatione mitior esse solet, quam in acuta. In vasorum lymphaticorum inflammatione saepe deest.

*Vegetatio aucta et anomala*, cum vicissitudine frequentiori organicae materiae saepe inermi oculo conspicui potest: partes inflammatae emolliuntur magisque expanduntur; tela cellularia sanguine repleta incitabilitate gaudet maiori; emolliuntur ossa, rationemque cartilagineam induunt; corneae crassities insigniter augeantur, colorque ejus in lacteum mutatur; verisimiliter omnes inflammati organi partes, nervi musculi etc. mutationem patiuntur.

*Sanguinis mixtionis* mutatio e tardiori ejus coagulatione elucet: partes lymphaticae in massam fibrosam supernatantem abeunt, crustamque inflammatoriam exhibent. Occurrit crusta illa maxime in inflammationibus vehementioribus, quae cum totius vasorum systematis affectione conjunctae sunt: habet autem crusta colorem albidum, tantamque tenacitatem, ut haud facile dissecari possit. Crustam hanc inflammatoriam sic dictam, ex aliis etiam causis oriri cum experientia nos doceat, certum inflammationis signum haberi ne-

quit, quum et gravidarum sanguis vel ille, qui ex ligata diutius vena educitur, firmissimam crustam contrahere soleat, ac in morbis, qui in inflammationem vel minime participent, non raro occurrat. Non tantum fibrosa sanguinis pars, sed etiam ceterae ejus constitutivae partes inflammatione insigniter commutantur: ad quem statum inflammatorium sanguinis e vena missi cognoscendum, secundum experimenta chemica, sequentia exstant signa 3): 1. crusta inflammatoria. 2. mollities cruoris subiacentis. 3. albumen, aucto calore a sero secretum, cohaesione carens. 4. paucitas seri, quod cum aqua fervida commixtum ad coagulationem redigi nequit, sed colorem lacteum induit. —

Inflammati alicujus organi eo citius febrem universalem excitabit, quo insigniorem habet gradum ac ambitum, aut quo majori consensu cum aliis organis pars affecta gaudet: et vice versa in febre universali eo citius inflammati topica oriatur, quo magis partis alicujus incitabilitas aucta est. Ambae affectiones semper unum eundemque habent characterem et tantummodo gradu differunt; videtur quidem, experientia

3) Abhandlung über das Blut von Parmentier u. Dejeux. Keils Archiv f. d. Phys. 1. Bd. 1. Heft. p. 76 — 144. 2. Hft. p. 3 — 37.

duce, inflammati hypersthenica oriri posse quamquam Organismus febre asthenica laboret; in tali casu, hyperstheniam localem brevi tempore in astheniam transiaturam esse jure nostro contendere licet. Discernuntur autem duae febrium species, praecipue si ex causa mechanica prodit inflammati, quarum altera, immediate post irritationem erumpens, magis nervosum characterem ostendit et, cum ex sola animi pathemate oriatur, mox iterum evanescit. Altera autem febris, quae plerumque post aliquot dies sequitur, horroribus incipit vel frigore, nunquam postea redeuntibus; aestus vero pertinax est et constans, cum pulsu diverso atque aliis symptomatibus conjuncta.

*Perturbata inflammatae partis functio*, pro diversa ejus ratione ac indole, etiam diverso modo se exerit. Organorum secretiorum functiones mutantur quoad quantitatem ac qualitatem, et in summo inflammationis gradu penitus interceptantur.

In affectione externarum partium symptomata sequenti ordine oriri solent: sentit aegrotus primum calorem, prurium-doloremque, cui tumor ruborque succedunt; perturbata partis affectae functio plerumque agmen claudit.

In internis inflammationibus relata symptomata, quamquam adsunt, tamen sensibus haud percipiuntur;

qui ergo interni illius morbi diagnosin exploratam habere cupiverit, eum doloris locum, functionem perturbatam alicujus organi, causarum praegressarum naturam et partis affectae vim in alia organa e. g. in systema vasorum respicere oportet. Ceterum urina clara et flammea ad signa illa refertur. — Difficultas hujus morbi cognoscendi nascitur subinde e doloris absentia, dum sui non compos est aeger, aut delirio tenetur vel sopore. Tum autem ad sensum abdominis tensi attendendum est: protinus nempe ut tangitur abdomen musculi faciei convelluntur: adnumerantur hic adhuc pulsus exilis duriusculus, genarum rubor sordidus, lingua aridissima, singultus, deliria, ventris tumidus sensus calidissimus, meteorismus, convulsiones, vomitus, diarrhoea etc. — Diversae post mortem per sectionem repertae mutationes, ut rubor suppuratio, sphacelus, internarum partium inflammationis signa habita sunt, quamquam vivo aegroti cetera hujus morbi signa deerant; nonnulli medici auctores 4) harum inflammationum clandestinarum diagnosi magnam operam impenderunt. — Phaenomena vero quae ex sectione animadvertenda Reilii nomi-

4) Wienholdt Diss. de inflammat. occultis. Götting. 1772.

nat, nempe: membranae gelatinosae, concretiones polyposae in diversis vasis, tumor organorum eorumque major ambitus, repletiones tandem sanguineae minorum vasorum, quae nervorum neurilema tunicasque majorum vasorum nutriunt, certissime nos docent, inflammationem adfuisse.

## II. De causis inflammationis.

Dispositio ad inflammationes dependet a singulari quadam corporis conformatione; a peculiari ejus receptivitate et sensiferae vitae temperie; porro a constitutione atmosphaerica, a natura regionis etc. — Quod individuorum attinet dispositionem ut pro aetate, sexu etc. diversa sit, necesse est. Jvenes sani robustique magis ad athenicas inflammationes; alii contra scrophulosi, debilesque magis ad asthenicas proni sunt. Quoad partes, constat externas magis irritamentis expositas esse, quam internas. Ossa, cartilagineae, tendines et ligamenta non tam facile in inflammationem incidunt, partes molliores contra facilius ab ea corripiuntur.

Causas occasionales praebent aut res externae, aut morbi actionesque corporis ipsius. Aëris primum qualitates indagandae sunt: frigus, aestuante corpore exceptum, frequentissima est inflammationum causa, unde hypersthenicae et acutae inflammationes frigidis climatibus et hyemali tempore familiares sunt; nec non monticolis; verno quoque tempore ob eandem causam crebrior est inflammatoria constitutio. Subest tamen alia causa, quae gravioris momenti est: turbata nimirum electricitatis ratio, quae ineunte vere inflammationibus oriundis ansam praebet. — Calorem aëris nimium inflammationibus oriundis favere, praecipue si alia accedunt incitamenta, tum autem asthenicas potius producere phlogoses, quam hypersthenicas, plures auctores contendunt. Deinde huc pertinent motus corporis voluntarius, praesertim frigente aëre. Stimulis porro, qui inflammationes excitant, adnumerandi sunt insecta et animalia venenata, nec non irritamenta chemice agentia, quae superficiem destruunt. Constitutio epidemica inflammatoria nonnunquam est talis, ut stationaria etiam esse possit omnesque intercurrentes morbos dirigat. — Contagii quibusdam proprium est organa adeo incitare, ut functiones turbentur et inflammationes nascantur. Animi quoque perturbationes maxime incitantes, inflammatoriis morbis favent; imo et

insomnia 5) accusanda esse, nonnulli auctores contendunt. In diversis aliis morbis, e. g. in exanthematibus, inflammatio saepissime oritur per metaschematismum; eimilique ratione stimuli haud semper proxime inflammationem in parte primitus adfecta, sed saepe in aliis suscitant, cum illa consentientibus: pertinent huc etiam febres quaedam per inflammationes se resolventes. Tandem ad vulnera, fracturas et luxationes veniendum est, quibus inflammatio illa efficitur.

### III. De exitu inflammationum.

Inflammatio sensim sensimque crescit usque ad aliquem gradum, et tunc diverso modo terminatur: *resolutio*, *suppuratio*, *induratio* et *gangraena* sunt exitus inflammationis, quae vulgo statuuntur; haec ab aliis crises vocantur, et in duo dividuntur genera, in crises perfectas et imperfectas: primum genus resolutio constituit, ad alterum verum ceteri inflammationis exitus pertinent.

5) B. d. Bosh theoref. prakt. Bemerkungen über d. Muskulärvermögen der Haargefäße. Münster u. Denabr. 1786. p. 52.

*Resolutio*: saluberrima haec successio inflammationes excipit gradatim decrescentes, nulla parte organica destructa. Omnia phaenomena eodem ordine quovenerunt, magis minusve cito evanescent: rubor cum dolore et aestu gradatim minuitur, tumor recedit, locus adfectus madere incipit: febris decrescit, lingua humectatur, et functiones, quae magis minusve turbatae fuerant, normalem statum recipiunt; in urina clara et saturata subsidet nubecula levis albidoflavescens. Si internae partes adfectae sunt, cum restituta sensim functione excernuntur humores a parte affecta secreti: sic pulmonum inflammationem terminant sputa cocta s. d.; si intestina patiuntur, humor intestinalis majori copia, per alvum ejicitur. — Ceterae membranae mucum secernentes humorem producunt puriformem viridescentem. Expectanda est haec successio in inflammationibus hypersthenicis haud nimis violentibus, nec non in mediis gradibus asthenicarum: senes vero cachectici, aut qui diu jam secretionibus abnormibus laborarunt, alias potius sequelas experiuntur, nec non illi qui in decursu morbi mala utuntur diaeta, aut remediis nimis irritantibus tractantur. Recens inflammatio magis favet resolutioni, quam inveterata. Neque tamen certorum dierum spatium circumscribenda est hujus exitus spes, quum, praeter-

terlapsu longo tempore, resolutio adhuc observetur; sed ad partium differentias attendere necesse est. Sic membranarum et serosarum et mucosarum inflammationes facilius resolvuntur, quam parenchymatis glandularum et viscerum; dein sanitas aegri praegressa respicienda est, quae si vegeta, si juvenilis aetas fuerit et externis potius causis tribuenda inflammatio, quam labi partium adfectarum, spes est fore, ut hac ratione finiatur. Pertinent huc et exitus, ubi inflammatio partis alicujus desinit, sed alio loco erumpit, nempe metastasis, quam tantum faustam vocare possumus, si a parte nobiliori, quae gravissimi momenti in oeconomia animali fuerat, loco mutato, in ignobiliorem transfertur; infausta vero est metastasis, ubi contrarium locum habet, si v. c. glandularum salivarium inflammatio in testiculos aut in cerebrum transfertur. Sunt denique inflammationes quae magnam proclivitatem ad suppurationem exerunt, ad quas psoriasis pertinet, vulnuraque cum jactura solidarum partium conjuncta. Ceterum processus peculiaris cum resolutione conjunctus sit necesse est: solvuntur enim extravasata et vasis lymphaticis reducuntur. Plerumque ad resolutionem requiritur ut irritamenta removeantur; haud raro autem organa adhaescent irritamento et ad normalem redeunt statum.\*)

\*) Reil l. c. pag. 276.

*Suppuratio.* Inflammatio in abscessum abitura solito vehementior est, superficie arida calida et tensa, dolore atroci; mox vero dolor mutatur, fit pulsatorius. Tumor grandis est et sentiendi facultas aucta, aestusque mutatur in horripilationes ex adfecta parte oriundas: praeter haec et alia cuius parti suppurae propria symptomata observantur. Febris diminui videtur sed mox cum horrore et frigoris sensu redit et characterem typumque perspicue quidem remittentem sed eundem plerumque irregularem adsumit: hanc febrem ex susceptione puris in sanguinem originem non ducere in aperto est, cum eam saepissime eodem tempore, quo suppuratio, oriri constat. Febris ceterum non semper suppurationis gradui respondet; observantur enim suppurationes insignes sine ulla fere febre. — Tumor sensim in apicem elevatur, qui gradatim colore mutato flavescit aut albescit ruberrimis marginibus. Quo latior gliscit flavedo eo tolerabilior fit dolor, et tandem in solo ambitu inflammato sentitur. Quodsi, priusquam abscessus omnino formatus est, tumor inciditur, parenchyma scatet cruento latice sed tenui et seroso, qui gradatim mutatus in pus, transit. — Ubi abscessus exortus est, fluctuare solet tumor, superstitionibus locis quibusdam durioribus; partes solidae praecipue superficiem versus sensim sensimque dissolvuntur:

apertus denique abscessus humorem effundit peculiaris naturae, mitem, spissiore, odore proprio animali non foetido, colore ex flavo albicante. Pus hoc est in abscessu cavea collectum, in quo et durior quidam embolus nidulari solet, vel tandem solvendus in purulento liquore, vel arte promendus. Cavea abscessus parietibus cingitur inflammatis, in quibus carunculae efflorescunt continuo pure madidae, quo sensim repletur cavea, decrescente partium ambientium volumine. Quo magis abundat pus bonum, eo magis etiam carunculae succrescunt, tandem undique sibi contiguae, ut implere totam caveam possint; quae dum coalescunt, cuticula obducuntur et cicatrice, typum formationis pristinum nequaquam transgrediente; asperior superficies, et firmior cum partibus subjacentibus nexus docet, rete Malpighianum deesse. — Proclivitas inflammationum ad suppurationem diversissima est: expectare eam licet, si inflammatio ultra septimum diem duravit. Eo celeriorum autem habere solet decursum, quo robustiori gaudet constitutione aegrotus, quo ditiores sunt partes affectae vasibus sanguiferis, quo vividior denique usque ad certum gradum inflammatio apparet. — Quodsi internae partes pus concipiunt, omnia incipientis suppurationis symptomata animadvertere non possumus, cum partem affectam

oculis adspicere nequeamus. Morbus decrescit quidem, sed tantum ad certum gradum. Dolor pariter ut in externis inflammationibus haud penitus cessat, sed mutatur in pulsatorium, obtusum, cui horrores accedunt e parte affecta secundum nervorum cursum propagati; aestus etiam et functionum laesiones non penitus tolluntur, sed cum febre remittere solent. Febris horribilibus revertens, aestum producit circumscriptum in manuum volis et plantis pedum, noctes satis inquietas, et urinam turbidam, e qua, quod subsidet, floccos representat aut furfures; nonnunquam supernatat lotio cuticula oleosa aut versicolor. Accedunt sudores copiosi, quibus corpus colliquescere, viresque infringi videntur, pulsibus per aestum semper duriusculis frequentissimis; porro sapor corruptus nauseosus, genarumque rubor circumscriptus: verbo, hectica febris adest, quae corpus consumit. Aperitur denique abscessus et pus aut in quacumque corporis caveam effunditur aut per integumenta viam sibi pandit. Oritur haud raro tumor aquosus in superficie loci, in cuius fundo pus absconditur, quod a peritissimis medicis fluctuatione agnoscitur. — Quo modo pus gignatur, adhuc sub iudice lis est; contenderunt alii e dissolutis partibus solidis oriri, quod tamen locum habere nequit, cum illae partes ichorem solummodo

praebeant, aut sub emboli forma excernantur; ceterum substantiae jactura nullo modo respondet puris copiae, et suppuratio sola locali affectione produci potest v. c. setaceo. — Grashuis contra ex adipis dissolutione pus nasci censet: cum autem partes adipe omnino carentes (pulmones v. c. uterus etc.) in suppurationem transeant, et hanc opinionem rejiciendam esse credimus. — Quodsi e corruptione humorum prodiret, (ut Pringle et Gaber contenderunt) nasceretur etiam pus in stagnatione humorum serosorum, lymphaticorum et ipsius cruoris, quod quam alienum sit a veritate, patet e perpetuo hydropum indole, in quibus collecti humores nunquam in pus abeunt. Porro si corruptionem supponeret, neutiquam bonae indolis constitueret liquorem, ex quo novae partes generari et deperditae restitui possent. Posset insuper, si id unquam contingeret, spontanea fermentatione et putredine cruoris aliorumque humorum simile aliquid gigni, sed quod eo modo produxisse sibi videbatur Gaber a pure longe distinctum erat tum foetore singulari, tum acrimonia et ipso aëre hepatico, quem spargebat. Neque praetereundem est silentio, quod Quesnay, de Haen, Platner al. de puris productione judicaverunt: contenderunt enim pus in tota sanguinis massa nasci atque, per despumationem quasi, in locum suppuran-

tem secerni. Experientia autem illis contradicit, cum in febris inflammatione carentibus nullum gignatur pus, et vice versa suppurationes saepissime existere sine ulla febre constat. — Suppuratio est localis adfectus, licet et totum vasorum systema in consensum trahatur; quin etiam ipsis localibus remediis suppurationis vel emendari potest, vel deterior reddi. Concludendum igitur, pus in finibus vasorum nasci, quae cum opinione plurimi etiam auctores consentiunt. Puris secretio dependet a certo vitalitatis statu, qui si mutatur, mutata etiam producit secretionem. Si durante suppuratione febris iterum accedit, puris secretio intercipitur, et tenuis, sanguinolentus, acris, foetidusque humor, seu ichor, vel serosum pallidumque secernitur liquidum. A nimia inflammatione vulnus siccessit, ac puris principia in gangraenosum convertuntur saniem. — Aeris porro indoles, aetas hominis, victus ratio et aliae res, quae viribus servandis aut mutandis inserviunt, vim insignem habent in suppurationem. Experimentis chemicis constat lympham et principium sanguinis fibrosum praebere partes puris constitutivas, quas Hebenstreit et Brüggmann e gelatinosa parte sanguinis constitui crediderunt; gelatina autem tam parva copia sanguini inest, ut haudquaquam ex ea pus produci possit: accedit, recentiorum expe-

rimentis praesentiam gelatinae in sanguine omnino dubiam reddi.

*De transsudatione, induratione, coalitu etc.*

Succedit nonnunquam inflammationi coalitus vel induratio partium, transsudatio, tumor insolitus et diuturnus, generatio diversarum particularum, colluvies serosa aut lymphatica etc. Cum insigniori activitate vasorum exhalatio etiam augeatur necesse est, quam ob rem loco vaporis illius aequosi, serum et lympham nec non sanguis ipse secernitur. Hac ratione inflammationes oriuntur oedematosae, quae tardiori gaudent decursu et non facile in suppurationem transeunt; haec autem si accedat telam cellularem destruit, atque nullis includitur certis finibus. In pleuritide vulneribus penetrantibus exorta, nec non in peritonitide exsudatur lympham, quae in materiam puriformem caseosam mutatur; in inflammationibus adhaesivis s. d. materia fibrosa secernitur. In inflammatione oculi ipsius haud raro sanguineum invenitur extravasatum, quod in nonnullis abscessibus etiam continetur. Pro diversa inflammationis sede in diversis locis reperiuntur producta exsudationis, ut in diversis corporis humani cavis, in parenchymate intestinorum, in tela cellulari et in superficie partium inflammatarum. In vehementi inflammatione abdominis omnia saepe ejus organa quasi

cum gelatina superfusa esse constat. — Post viscerum ossiumque inflammationes vulgaris est tumor insolitus partium; omnia fere inflammationis symptomata cessant, restat tantum sensus in parte affecta premens ac gravis, et laesa functio non plane restituitur. Nimia inde partium adfectarum moles oritur, dum particulae plures apponantur quam auferantur. — Simili modo existit *coalitus*: particulae enim secretae abundantes transsudent in superficie, quam glutinosus protinus latex obducit, in quo demum nova generantur vascula, inflammatam partem cum finitimis conglutinantia. Indurationes per inertiam vasorum lymphaticorum explicare studuerunt medici; verisimilius autem videtur illas concretiones durante inflammatione productas, per processum vegetativum, ut ceterae organismi partes, conservari atque reproduci: perspicue hoc observare licet in excrescentiis carnosopolyposis, nec non in membranarum spurias a. d., in quibus vasa propria nutrientia oriuntur. — Pertinent huc pleurae ac uvulae indurationes, staphylomata et pterygia, callositates et angustiae oesophagi, canalis intestinalis, urethrae etc. — Glandulosae partes lenta inflammatione ut plurimum obdurescere solent: symptomata silent, tumor tamen superest, indies majorem attingens durtiem; pressione duntaxat et pondere molestus fit, ne-

que functiones integre restituuntur. Si internae partes patiuntur, febris vel omnino abest, vel lenta est et corpus consumit; glandularum conglomeratarum induratio vulgo seirrhus vocatur. — Non rarum est coluviem serosam in partibus inflammatis congeri, praesertim cum membranae serosae vel velamenta partium adfecta fuerint. Quamprimum latices vel soli, vel cum lymphae coagulabili, vel cum cruore remixti colliguntur, inflammatio ipsa quam plurimum imminuitur, et succedunt rapidissima hydropis diversa phaenomena, quibus febris necdum penitus profligatae signa consociantur. Occurrit haec successio haud raro in inflammatione cavorum cerebri, in peritonitide praecipue puerperarum; nec non in pneumonia nota s. d.

*Si Gangraena* excipit inflammationem, in externis partibus rubor intensissimus livore quodam commiscetur, partis superficies nitida relaxatur, aestus et dolor imminuuntur. Cessantibus inflammationis symptomatibus, momentaneus sensus quidam jucundus oritur, sed insolitus torpor et stupor partem tenet, ita ut tactus is locus, vel acupunctus, dolorem paucum vel nullum percipiat. Tumor frigidus mollis fit, ut digiti impressi vestigium etiam maneat; cutis inflata est et livida, pustulis obsita, quae sanie tenuem acerrimam, flavidam aut cruentam, foetis-

dam, continent: ruptae, hunc laticem corruptum effundunt, qui partes adjacentes exest. Circa locus dolet et inflammatus est, aut emphysemate cingitur pars affecta, aut oedematibus, corrupta fluida aërea vel aquosa continentibus. — Quodsi internae partes gangraena corripuntur, post summum dolorem, inquietudinem, febrem validissimam, functionis gravissimam laesionem, sequitur subitanea eorum adfectuum remissio aut cessatio: aeger vires se recuperare sibi persuadet, licet illis re vera destituatur, ardentius sinit et urinam mittit crassam et foetidam. Jam cum horribus vagis et irregularibus pulsus valde subsidet: malus est habitus, pallet facies, oculi recedunt et aciem amittunt, membra perfrigescent et sudoribus frigidis perfunduntur. Sensuum organa debilitantur, caligant oculi, auditus hebetatur, vox maximopere debilitatur. Sphincteres ani et vesicae resoluti alvum et lotium, in seio aegro, mittant. Accedit sopor profundus, lethalis, cum deliriis blandis: expirat aeger, dum algescunt et sine sensu sunt externae partes, dum pulsus cessat et spiritus cum cordis motu inordinato desinit. Interdum accedere solent atrae aut lividae externarum partium maculae, si viscera gangraena emoriuntur, quae si incipiunt, morbum lethalem esse pronunciant. Hunc inflammationis exitum causae producant multi-

plices: quaecunque vasorum nervorumque in partem officia auferunt, si tempore satis longo in istam agunt, mortem necessario inducunt, ideoque non semper ex ipsa inflammatione repetendae sunt causae gangraenae.

#### IV. De inflammationis divisione et prognosi.

*Inflammationis divisio diversissima est, pro vario ejus fundamento: sic respectu temporis quo durant inflammationes, in acutas et chronicas dividuntur, quae tamen divisio quam maxime incerta est: si quidam v. c. per duos menses catharro laboret, morbus hic chronicus appelleretur; ossium contra inflammationem per idem temporis spatium durantem, acutam esse, omnes auctores consentiunt. Respectu periculi, in benignas et malignas; respectu relationis ad causas externas, in endemicas, epidemicas et sporadicas; respectu complicationis cum aliis morbis, in biliosas, rheumaticas, serophulosas, venereas etc. distinguuntur. Distribuuntur porro secundum typum, in continentes et remittentes seu intermittentes; secundum aedem, in internas et externas, in clandestinas et apertas, in fixas et vagas, in superficiales et descendentes (in Erysipelas*

et Phlegmonen), in genuinas denique et spurias, prout vasa sanguifera aut vasa serosa adfecta sunt (inflammationis natura autem ubique in omnibus partibus eadem esse debet: spuriae ergo inflammationes non existunt, sed verae tantummodo); secundum successiones tandem in adhaesivas, suppuratorias, serosas, gangraenosas etc. Majoris momenti est inflammationum divisio, secundum characterem dynamicum, in hypersthenicas et asthenicas (docente Reilio in synocham, typhum et paralyzin).

*Inflammationis prognosin* ex illis quae allata sunt, sat clara habetur. Saepissime remedium praebet inflammatio et diversorum morborum curationem efficit: corpora aliena suppuratione expelluntur, vulneraque cum materiae jactura conjuncta sanantur; concrescunt excitata inflammatione herniarum vaginae, resolvuntur maculae corneae, ejusque abscessus curantur; in calidioribus regionibus, si quis saucietur, inflammatio excitetur necesse est, ne tetanus accedat. — Quo insigniorem gradum ac ambitum inflammatio habet, aut quo majore consensu pars affecta gaudet, eo facilius totus afficitur organismus. Inflammationes simplices ac minoris gradus, meliorem admittunt prognosin quam complicatae ac vehementiores; internarum partium affectio majoris est momenti quam ex-

ternarum. Ceterum pro characterem inflammationis, pro causarum occasionalium indole, pro aetate, sexu, constitutione, et pro rerum externarum aegroti conditione, prognosin diversa esse debet. Differt tandem pro diversis inflammationum successione: in suppuratione, si magna puris copia secernitur, vires aegroti exhauriuntur, et facile febris lenta oritur. Membranae mucum secernentes inflammatae, rarisime coalescunt, quod in membranarum serosarum inflammatione saepissime fieri solet. In partibus ligamentosis inflammatio decursum habet chronicum; indurationes, coalitusque relinquuntur. Gangraenae prognosin semper fere pessima est. —

## V. De natura inflammationis.

Naturam inflammationis, ab antiquissimis inde temporibus explicare studuerunt medici atque innumerabiles nobis tradiderunt theorias, magis minusve perfectas, prout physiologia et pathologia corporis humani illis temporibus excoltae fuerint: fragmentum itaque historiae inflammationum literariae sequatur.

moveri, tamen errorem loci unicum inflammationum fontem agnoscit, sedemque in talibus vasis quaerit, quae secundum leges sanitatis sanguine non impleantur. Post Galenum, per multa saecula, auctores medici pathologiae explicandae nullam tribuerunt operam, sed majorum tantummodo libros fideliter in suos transcripserunt, 18) quamquam res medicamentaria et pharmaceutica nec non et chirurgia per Arabes magnopere excolta fuit. Restitutum denique historiae naturalis et anatomiae studium, medicinae quoque necessaria et gravissima subministravit adminicula. In lucem prodit autem Paracelso duce, saeculo XVI., systema philosophico - astrologico - chemicum, quod omnia vitae phaenomena ut processus chemicos consideravit sic *Helmontius* 19) quamquam organismum a dynamica etiam parte spectavit per fermentum acidum sanguinem in inflammatione ad partem affectam allici, contendit. *Thomasius Sydenham* 20) strenuus naturae observator, non tantum mixtionem sanguinis sed etiam distributionem, copiam et motum

18) Sprengel l. c. pag. 365—442.

19) J. B. v. Helmont Op. omn. Francof, 1682. §. 13.

20) Th. Sydenham Praxis med. experiment. Lips. 1695.

ejus respexit. *H. Boerhavius* 21) legibus mechanico-mathematicis actiones organismi explicare studens, inflammationem a stagnatione et attritu sanguinis in finibus vasorum derivat. Convenit cum illo ex parte *Fr. Hoffmannus*, 22) qui magis tamen vires dynamicas ante oculos habuit; inflammationem oriri inquit si sanguis vel alius humor praeter naturae consuetudinem congeritur et partes solidae tenduntur. *G. E. Stahlus* 23) inflammationis essentiam ad plethoram, sanguisque retentionem et quasi incarcerationem refert, in eo autem cum Hoffmanno convenit, quod stasis adsit sanguinis cum stimulo quodam inde exorto conjuncta. *Gaubius* 24) paucis tantummodo a Boerhavo differt, cum inflammationem ex congestione humorum eorumque impedita transitu atque motuum vitalium auctione explicare studet. *A. Hallerus* 25) phlogosin nasci

21) H. Boerhave Aphorismi de cognoscend. et. cur. morb. Lugd Batav. 1737. §. 371, sp.

22) Medicin. ration. system. Tom. IV. Sect. II. Cap. I.

23) G. E. Stahl Theoria med. ver. etc. Hal. 1737. Dissertatio de inflam. pathologia. Hal. 1691.

24) Institut. pathol. med.

25) A. Hall. Opuscul. patholog. observat. pag. 108. Element. phys. Tom. I. p. 116.

docet, cum sanguis e minimis arteriis, aucta illarum irritabilitate, transsudet et in telam celulosam effundatur. Conveniunt cum illo *Boschius*, 26) *Bartholius*, 27) *Büchnerus*, 28) ex parte etiam *de Haen*, 29) qui praeter auctam cordis et vasorum vim, propriam sanguinis dispositionem phlogisticam inter causas inflammationis refert. *Latta* 30) et *Schumiansky* 31) contra, paralytin potius quam vim vasorum spasmodice auctam inflammationis naturam absolvere contendunt. *Huxhamus* 32) et *Cullenius* 33) ad Halleri opinionem accedunt, cum activitatem vasorum auctam, et spasmus in finibus eorum, causas inflammationum accusant. *Winterl* 34) praeter diversitatem partium affectarum

26) B. d. Bosch theoret. pract. Bemerkg. üb. d. Musk. vermögen der Haargef. Münster 1786.

27) Barthol. de caus. proxim. inflamm. Lond. 1739.

28) Büchner Diss. de inflamm. Hal. 1767.

29) A. d. Haen ratio medendi.

30) System of Surgery. Cap. 6.

31) Diss. de infl. causa proxima. 1789.

32) Huxham oper. phys. med. cur. Reichtel Tom. II. pag. 156.

33) Anfangsgründe d. pract. Arzneywissenschaft. Leipzig. 1778. 1. Thl. p. 150. sq.

34) Diss. promovens nov. infl. theoriam. Vienn. 1767.

stimulum quandam heterogeneum agnoscit, quem causam inflammationis esse credit. *Burserius* 35) etiam stimulum proprium adesse putat, quo congestio atque obstructio vasorum producatur. Respondet huic sententiae *Junckerus*, 36) qui inflammationem infarctus sanguineos esse cum febre topica, voluit. *Selle* 37) materiam peculiarem acrem existere asserit, quae phlegmonem accendat. *Wedekindus* 38) C. L. Hoffmanni praecepta sequutus, per irritamentum externum et auctam sanguinis ad putredinem propensionem, inflammationem explicare studuit; quam theoriam C. Wachtel \*) ingeniosissime refutavit. *Grasmeyerus* 39) inflammationem morbum solidorum vivorum, in quo incitamentum constans vim vitalem partium nimis adaugeat, esse contendit. *Richterus* 40) causam inflam-

35) J. B. Burs. de Kanilfeldt. inst. med. pract. Tom. I.

36) Consp. rerum quae in Pathol. medic. pertractant. Tom. I. Hal. §. LXXXVII. sq.

37) System. Fieberlehre. 1791. pag. 110. sq.

Medicin. clinica. 7te. Aufl. S. 78.

38) Allg. Theorie der Entzdg. Epz. 1791. p. 15 etc.

\*) C. Wachtel praeside Reil animadvers. quaedam circa nat. inflamm.

39) Abhandlung vom Eiter. S. 9. sq.

40) Anfangsgründe der Wundarzneyst. Götting. 1787. 1 Bd. pag. 2. sq.

mationis proximam, a strictura spastica vasorum minimorum, ab oscillatione fibrae sensibilibus et irritabilibus aucta, nec non a copiosiori humorum affluxu in partem affectam, derivat. *Callisen* 41) in definitione inflammationis irritationem et dilatationem vasorum, nec non errorem loci in auxilium vocat. *Bruno* 42) ejusque sectatores, organismum humanum a dynamica solummodo parte spectantes, inflammationem per auctam aut imminutam vasorum nervorumque vim et per disproportionem inter incitamenta et irritabilitatem, explicare studuerunt. *Hufelandus* 43) per vim sanguinis vitalem, inflammationis naturam definire studuit, quam summum congestionis gradum esse contendit; alia occasione, 44) non minus imminuta, inquit, vi vasorum vitali inflammationes produci posse, quam aucta. *Brandis* 45) contendit partem nullam posse inflammari

41) Institut. Chirurg. hod. Tom. I. §. 191. sq.

42) Brown System d. Heilkunst, übersetzt v. Pfaff. Copenhag. 1798. §. 322 u. 704.

43) Ideen über Pathogenie Jena 1795. C. 303. System der pract. Heilkunde. 1802. p. 117. sq.

44) Journal der pract. Heilkunst. VII. Bd. 1. St. C. 205 sq.

45) Versuch über die Lebenskraft. Hannov. 1795. C. 126—33.

visi telam cellulosaam, quam sententiam, a Hallero et Platneri jam relatam, Cl. E. B. G. Hebenstreit 46) ingeniosissime refutavit. *Röschiaubius* 47) Brunonis sectator, turbatum aequilibrium, quod inter actionem omnium vasorum in statu sanitatis existit, inflammationem producere contendit. Accedit illius sententiae *Pfaffius*, 48) qui discrimen, quod inter spasmus et phlegmonem versatur, in eo consistere credit, quod statu phlogistico imperante, non vasorum minimorum irritatione sed majorum etiam aucto tono, systema sanguiferum laboret. *J. P. Franckius* 49) aucta vi vitali partis correptae et accedente stimulo forte, inflammationem nasci docet. Ceterum non definitionem hujus morbi sed potius descriptionem nobis communicat. *Reiliius* 50) inflammationem turbatum processum vege-

46) Zusätze zu B. Bells Abhandlungen von den Geschwüren und deren Behandlung.

47) Lehrbuch der Nosologie. Bamberg, 1801. §. 1712—17.

48) Pfaff Grundriß einer allg. Phys. u. Pathol. Copenhag. 1801. I. Bd. §. 164. et 343.

49) De curandis hom. morbis epitom. Mannh. 1792. L. II. §. 121. sq.

50) R. Ueber die Erkenntnis und Cur der Fieber. 2. Bd. Halle 1804. §. 67.

tativum localem esse contendit; causam inflammationis in aucta arteriolarum oscillatione quaerit, sedemque illi in vasis capillaribus tribuit. *Horn* 51) inflammationem morbum localem aut hypersthenicum aut asthenicum cum activitate functionum laesae partis intensive aucta conjunctum, esse contendit; formam diversam quatuor ei nota symptomata, calor, dolor, rubor et tumor constituunt.

*Henkius* 52) ubi de inflammationis natura tractat, systema vasorum et quidem praecipue vasa capillaria affici, nec non etiam totam organicam massam partis affectae mutari, opinatur. Congestionem sanguinis sequelam mutatae vasorum actionis magis, quam causam ejus esse contendit.

*Heckerus* 53) ad Henkii sententiam accedens, simul observationes Gruithuisenii microscopio factas de inflammationis processu, affert.

51) Handbuch der medic. Chirurgie. 1. Thl. S. 12.  
*Meyer* über die Natur der Entzündung. Berl. 1810. pag. 51.

52) Ad. Henke Handbuch der spec. Pathologie. Berlin 1808. S. 306—321.

53) Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen. Erfurt, 1813.

*Neumannus* 54) in inflammatione inquit, semper expansibilitas contractilitatem in parvis vasis sanguiferis vincit: inflammatio itaque non magis aucta quam imminuta activitate vitali nititur; hypersthenica inflammatio oritur causis operantibus quae expansibilitatem vasorum directe augeant, asthenica vero, ubi contractilitas directe diminuatur. — Nonnulli medici philosophiam naturae sequentes, plerumque dictione mystica in morbis explicandis usi sunt; de inflammationis natura plures dederunt definitiones, quibus una, *F. A. Marco* 55) prolata, sufficiat: Entzündung, inquit, ist das Ergriffenseyn des electrischen Moments in seinen Dimensionen. Derivat nempe naturam inflammationis atque febris ab aucta contractilitate arteriarum. —

*Troxler* 56) inflammationem morbum vegetationis, magna cum propensione ad destructionem organismi conjunctum, nominat. Convenit cum illo ex parte *J. J. Reuss* 57): docet enim, inflammationem a stimuli

54) Huf. Journ. B. 25. St. 3. p. 151. St. 4. p. 48.

55) S. A. Markus Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnberg. 1807. pag. 1. sq.

56) Ideen zur Grundlage der Nosologie u. Therapie. Jena, 1803.

57) Wesen der Erantheme. Aschaffenburg, 1814.

cujusdam actione in organum aliquod irritabilii oriri, sequitur hanc irritationem congestio sanguinis ad partem affectam et contractio finium vasorum minimorum, una cum sanguinis impedito refluxu. Materia partis inflammatae denique ad dissolutionem tendit. — *Sprengel* 58) incitamentum vasorum sanguiferorum morbosum, cum majori impetu sanguinis ad partem affectam, quo humoris istius cohaesio minuitur, causam inflammationum accusat, hocque morborum genus igitur a mera congestione gradu tantum diversum esse putat. — *Burdachius* 59) inflammationem conflictum nimium sanguinis cum nervis, per congestionem sanguinis in vasa serosa productum, esse contendit. — *F. L. Kreyzig* 60) docet partem inflammatam statum vitalitatis novum induere, actionibus formationis atque nutritionis abnormi modo auctis se exerentem, quo nexus cum cetero organismo solvatur. — Secundum *Meyerum*, 61) inflammationis natura consistit in irritabilitate

58) *Handbuch der Pathologie*. Wien, 1811. §. 159.  
*Institut. patholog. spec.* Amstelod. 1814. §. 144. sq.

59) *Handbuch der Patholog.* Leipz. 1808. §. 444.

60) *Handbuch der pract. Krankeitslehre*. 2. Thl. pag. 245.

61) *J. Meyer über die Natur der Entzündungen*. Berlin 1810.

systematis vasorum capillarum abnormi modo aucta. — *C. F. Rittich* 62) in dissertatione sua inaugurali sententiam praeceptoris Balkii refert, qui in abnormi nisu formativo causam proximam inflammationis posuit. — *J. W. H. Conradius* 63) denique hoc scriptorum agmen claudat. Ex symptomatibus atque momentis casualibus tantum concludi posse, in mediis gradibus inflammationis vasa capillaria sanguinem aucta vi ducere, in majoribus autem inflammationis gradibus, tensionem et clausionem spasticam vasorum accedere, simulque sanguinem magis ad coagulationem tendere, contendit. —

Naturam inflammationis non magis explicari posse quam ipsum processum vitalem, contendere mihi liceat, nam revolvimur in utriusque indagazione ad vires peculiare materiae organicae, ad vires atque agendi rationem omnium partium, quarum ab integritate vita organismi nostri dependet. — Tela cellularis, nervi, vasaque, systemata primitiva s. d. sistunt, quae ad corporis humani vitam vegetativam requiruntur: rete

62) *Diss. exhibens nov. inflamm. theor.* Dorp. 1815.

63) *Grundriß d. Patholog. u. Therapie*. Marburg. 1819. 2. Thl. §. 175.

praebent, aut parenchyma cujusvis organi, ubi materia nutriens secernitur; continentur autem in diversis organis diversissima copia, atque eorum naturam diversam proferunt.

Nervi ceteris praesunt partibus et polaritate sua actiones dirigunt. Negari enim non potest, eosdem electricitatis conductores esse aptissimos et dispositione sua excitando galvanismo praecipue favere. Docet hoc prae ceteris structura oculi, in quo nervus opticus et nervi ciliares sibi occurrunt. Nervus opticus cum retina et arteria centrali polum positivum exacte constituit; negativum contra componunt nervi ciliares tertii ac quinti paris et vasa chorioidiae: ambo poli tantummodo in medulla spinali juncti sunt, inter fines eorum humores oculi reperiuntur, et conductores intermedios secundi ordinis praebent. Si unus aut alter polus, retina aut nervi ciliares, efficacia imponderabilium e. g. lucis, electricitatis etc. excitantur, visus oritur. Vasa sanguifera polum positivum constituentia omnia fere in vasa serosa transeunt, quibus humores oxydati secernuntur: respondent his vasis venae levisimae. In secretionem vasorum nervis ciliaribus subjectorum contra, carboneum et azotum praevalet. — Actiones columnae voltaicae in sanguinem, secundum

experimenta a Cl. Brandis 64) instituta, egregie cum supra relatis conveniunt: efficacia enim positivi poli sanguis ex parte in laticem aquosum oxydatum permittitur, vi contra negativi poli indolem desoxydatam et carbonisatam induit. — Ceterum non tantum ad sensuum organa pergunt nervi diversae illius structurae et originis: nervus sympathicus enim cum centralibus illis nervis, cum optico, olfactorio etc., maxime convenit, eandem habet structuram et consistentiam mollem, et soli arterioso systemati junctus est, quocum polum positivum constituere videtur, cui contrarii sunt nervus vagus, accessorius, phrenicus etc., quae, ratione nervorum ciliarium, se opponunt. Singulas autem catenas in tali turba perspicue demonstrare, difficillimum sane opus esset; arteriosum autem sanguinem in venosum mutari in aprico est. —

Videtur mihi autem, inflammatio nil aliud esse, nisi processus vegetationis anomalus, qui cum ipsa generatione maximam exerit similitudinem. Argumenta vero quibus haec sententia nititur, sequentia sunt: Inter animalium quorundam genesin et processum inflammationis maxima analogia locum habet.

---

64) vide Pathologiam ejus p. 227—234.

Ubi sano statu processus tantum reproductivus adfuit, processus 65) oriuntur novi chemici, vasa telamque cellularem producentes. In vasis serum aut lympham conducentibus oxydatio aucta prodit; formantur vasa capillaria nova, veteribus evanescentibus; observatur calor auctus qui plerumque cum mutatione fluidorum *in solida conjunctus esse solet*. Gignuntur denique in inflammatione non solum diversa concrementa sed etiam membranae verae, vasis nutrientibus praeditae. Eodem modo ut in loco inflammato, in cuticula vitelli processus nascuntur chemici, inflammationi similimi; fluida majori oxygenii copia impraegnata in sanguinem transmutantur, simulque oriuntur vasa sanguinem aliosque humores conducentia: puncta nempe passim oriuntur inbra, radios ad latera dispergentia; hi radii catenas quasi aut reticula formant, ex quibus vasa denique prodeunt. — Post concubitus foecundum interior uteri superficies conditionem inflammatam habet, ut multorum animalium sectione, statim post concubitus necatorum, demonstratum est. In sanguine gravidarum eandem mixtionem invenimus, quam in statu inflammationis, isque sanguis et ipse crustam

65) Gruijthuisen med. csiv. Zeitung, 1811. 2. Bd. p. 298. 69.

inflammatoriam nobis praebet. Sic in dentitione in maxillis status inflammationi analogus observatur. — In vulneribus cum substantiae imminutione, ubi natura deperditum resarcire studet, inflammationem oriri invenimus quam suppuratio sequitur; in suppuratione autem, fini respondente, similis processus locum habet ac in inflammatione: concresecunt fluida, formantur vasa aliaeque partes solidae.

Processus inflammationis gradum certum retardari humorum motus requiri videtur, veram autem sanguinis stasin nemo statuet.

Inflamatio sedem sibi figit in systemate capillari, idque, uti videtur, praecipue in illa ejus parte, quae arteriis contigua est, quum venae sanguinem minus plasticum ideoque formationi minus aptum ducant. Interim negari nequit, affectionem non raro quoque transferri ad alteram vasorum capillarum partem venis respondentem.

Magnam quidem auctores impenderunt operam in discernenda inflammatione hypersthenica et asthenica; sed divisio haec neutiquam complectitur omnes ejusdem modificationes. Etenim si in hypersthenica cum aucta irritabilitate auctam simul energiam statuimus,

in asthenica autem energiam imminutam, utriusque inflammationi adhuc medio seu normali cum gradu energiae incedentem adungere debemus, quemadmodum inter synocham et typhum febris neutrius generis a synochus positus est. Occurrunt enim casus in quibus energiae modum mutatum vix probare licebit, saltem explicari non possit, quomodo, neglecto statu tali intermedio inflammatio hypersthenica unquam in asthenicam transire posset, quod tamen experientia duce fieri solet eodemmodo, quo synocha transit in typhum. Sed praeter hoc discrimen aequae magni momenti mihi videtur quod inter arteriosam et venosam obtinet. Nam si arteriae polo nervorum positivo, venae autem negativo subjectae sunt, in illa reactio poli quoque positivi, in hac negativi, praecipue in conspectum veniet. Negari quidem non potest, altero polo affecto alterum quoque affici. Interum effectus, quod phaenomena docent, nunc tamen magis in hoc nunc in illo sese produnt. Inde nunc sanguis ruborem helvolum induit, crustam fibrosam ostendit et lympham plasticam edit, nunc ruborem profundiorum induit, carbonoso scatet, et secretioni minus favet. Exemplo sint inflammationes a vesicatorio et a sinapismo productae; in illis ruborem vividum cito provocatum secretio seri aut lymphae conspicua sequitur; in his

rubor cum dolore sensim sensimque, non raro post dies demum, increscit, in colorem purpureum abit et secretionem aut nullam aut exiguam tantum procreat.

Omnes organorum corporis nostri actiones modum excedentes facile in inflammationem transire possunt: sic cl. Franck cum febre vehementi inflammationem generalem tunicarum vasorum observavit; sic et spasmi vehementes facile in inflammationem transeunt. E contrario, cum nonnulli auctores secretiones auctas cum inflammatione confuderint, limites huius morbi ne nimis extendantur, cavendum est. —